



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

erit exponere quodnam Novitiis potissimum
conveniat.

CAPUT XXXI.

*In quodnam præsentiæ Dei atq; ora-
tionis aspirativæ genus potissimum
incumbere debent Novitii.*

FAcili conjecturâ assequi licet, præsentiam
Dei Novitiis magis propriam & accom-
modatam esse primam ex tribus illis, quas su-
prâ commemoravimus, neque ullatenus con-
sultum esse; illos initio ad plures aspirationes
producendas obstringere; quia cum in ora-
tione non multum adhuc profecerint, vel illas
in vanum elicerent absque fundamento, ra-
tione aut motivo; vel sibi caput obtunderent,
ac frangerent pectus, ut volentes nolentes eas
producerent cum affectu; vel denique cum
rem conficere non possent, exercitia ista in-
teriora prorsus abjicerent, utpote quæ im-
possibilia sibi esse persuaderent. Omnino igitur
hic necessarium est gradatim ac pedeten-
tim procedere.

Novitii tempestivè debent se assuefacere,
ut læpiùs suprâ seipsos reflectant, moxque ad
Deum redeant dicentes in corde suo: "Deus
" me videt, sum coram ipso: Ipse est ocula-
" tus testis ac spectator cunctarum actionum
" mearum. *Nonne ipse considerat vias meas, Job. 1. 31,*
inquirebat Jobus, *& cunctos gressus meos di-*
numerat? Cogitationes istæ totidem sunt

*Novitii
ad multas
astringen-
di non
sunt aspi-
rationes.*

*e
tione*

*Orat. I.
de Theol.*

actus fidei, qui paulatim Dei memoriam animis eorum adeò firmiter imprimunt, ut juxta placitum S. Gregorii Nazianzeni non minus naturale ipsis futurum sit Dei recordari ac respicere. Neque hoc dumtaxat, verùm deinceps coram ipso ambulabunt cum timore, reverentia ac circumspeditione. In omnibus & per omnia ei placere studebunt; omnes actiones suas ad illius majorem gloriam dirigent; in omnibus repugnantibus suis semetipsum generosè superabunt, pluresque leviores defectus atque immodestias admittere metuent, ne fortè perspicaces illos divinos oculos offendant.

*Qualem
Dei præ-
sentiam
tribus pri-
mis men-
sibus No-
vitiatus
practicare
debeant.*

*Conditio-
nes bene
peragendi
quam-
cumque
actionem.*

Primis tribus mensibus Novitiatus pro omni exercitio aspirationis ac præsentia Dei ipsis sufficiet, si initio suorum operum ritè fecerint directionem, atque ipsa deinde opera dignè peregerint cum omnibus circumstantiis illis, quas in tertio Directorii hujus nostri tractatu exposuimus. Hoc est 1. ut contendant omnes Religionis actiones aggredi cum magno desiderio placendi Deo. 2. Ut deinde se communiunt bonâ aliquâ consideratione, quæ si peti possit ex ipsa natura actionis, eo melior atque utilior erit. 3. Ut illas aggrediantur cum fervore & affectu, connitendo, ut in illis observent omnes necessarias modestiæ, industriæ, dexteritatis ac diligentia circumstantias. 4. Ut illas faciant integrè ex una parte temperando vehementiam ac nimiam vivacitatem naturalem, si illa in ipsis reperitur; atque ex altera parte superando tardium, quo impelli possent ad illas deserendas,

ante-

antequam ad perfectionem sint productæ, aut ad illas obiter ac perfunctoriè perficiendas. 5. In fine instituent parvam revisionem, examinando si qui fortè intercurrerint defectus, ut de illis veniam à Deo petant; sin verò, gratias agant totamque ipsi gloriam integrè attribuunt.

Novitiis pro acquirendo horum omnium habitu & consuetudine assignamus tres menses. Quod si verò nonnullis isti non sufficiant, uti reverà reperire plures est, quibus non sufficiunt, illi exercitia illa prosequantur, quin alia assumant, quamdiu Patri Magistro expedire videbitur, ita ut caput interioris occupationis ipsorum pro eo tempore esse debeat, ut contendant omnia Religionis exercitia exteriora dignè peragere coram Deo atque cum ædificatione Fratrum suorum. Hoc tamen nequaquam obstare debet, quin contentur paulatim se informare ad aliquot devotas ac ferventes, etsi minus frequentes, mentis suæ in Deum elevationes inter directionem, quæ fit in principio, atque examen quod fit in fine operis, eliciendas; at hoc præcipuum eorum studium esse minimè debet.

Verùm quoad materiam, quam arripere possunt subinde per intervalla mentis tantisper ad Deum elevandæ, ut tyrocinium ejus rei ponant, observandum est, esse actiones aliquas, quæ ex seipsis in Deum nos inclinant, uti verbi gratia sunt: canere divinum officium in choro, sacro missæ sacrificio inservire, spiritualium rerum lectioni vacare, exhortationem aut sermonem spirituales audire, de rebus ad

animæ

*Materia
aspiratio-
num pro
Novitiis.*

animæ profectum spectantibus, deambulationis quotidianæ tempore aut aliàs, colloqui, aliaque hujusmodi. Hac in re necesse non est, nisi ut occasionem arripias ex eo quod cantas, legis vel audis, ut inde jaculatorias tuas orationes affingas. Quantum ad alias actiones, quæ ex seipsis in Deum nos non inclinant, ut sunt labor manuum, exercitatio in ordinariis officiis, refectio in communi triclinio & similia, Novitius, qui interim dum actio ea peragitur Dei recordatur, illam ei rursus offerre poterit, renovando bonum propositum, quod in directione concepit, ipsam unice perficendi, ut Deo complaceat. Aut certè elevationem aliquam spiritus concipiet super ea consideratione interna, qua se ante actionis initium communierat. Exempli gratiâ, si eundo ad laborem manuum se munierat consideratione pueri Jesu laborantis cum parente suo Josepho, poterit inter laborandum, dum Dei fortassis recordatur, hanc formare elevationem: *Recipe, mi Deus, laborem istum in unione laboris dilectissimi filii tui.* Aut certè dirigendo sermonem ad ipsum amantissimum Salvatorem nostrum dicet: *Domine, sicut hic in terris Patrem tuum tuo labore glorificasti, sic & meo glorificare ipsum desidero & intendo.*

*Exemplum
boni Religiosi.*

Probus quidam observantiæ nostræ Religiosus, cui nomen Frater Natalis, qui cum sanctitatis odore mortuus est in conventu Dolensi, adeò huic exercitio assueverat, ut Dei præsentiam nunquam amitteret, tametsi laboribus atque occupationibus quamplurimis distine-

stineretur. Illius in Deum elevationes erant continuæ, ut videantur comparari potuisse cætenarum anulis se invicem excipientibus. Oretenus atque elatâ voce illas faciebat ex admirabili simplicitate, sibi de reliquo persuadens à nemine se audiri, quia solus culinæ ac dispensatoriarum serviebat, quæ loca extra refectio- nis horas minus frequentata sunt. Nonnemo tamen Religiosorum aliquando ipsum obser- vans advertit, breviori tempore, quàm quo recitari possit Psalmus *Miserere*, ab ipso se- decim orationes jaculatorias fuisse deprom- ptas; plures numerare nequit alio avoca- tus. Hoc à Novitio aut Incipiente non exigi- tur: attamen exemplum istud in medium ad- ferre volui, ut omnes exploratum habeant, quousque possint ac debeant in hoc exercitio proficere.

At à veritate nequaquam aberrârunt mul- ti, qui dixerunt, optimum Religiosi hac in arte planè divinâ Magistrum esse bonam ipsius vo- luntatem ac fervorem. Qui etenim fervens fuerit, etiam si adhuc existat Novitius, nun- quam Dei recordatur, quin confestim cor ipsius certam quandam persentiscat commo- tionem atque inclinationem ad nescio quâ cum lætitiâ Spirituali tendendum in Deum, veluti expertus fuit Propheta Regius, qui ait: *Memor fui Dei & delectatus sum.* Illis, qui huiusmodi sunt; modicâ opus est instructio- ne, quin potius indigent moderatione, ne nimio cum fervore, devotione suâ utan- tur: cæteros attamen, quibus Deus tantam gratiam minimè contulit, & qui tamen illi

quan-

*Bona vo-
luntas &
fervor
aspiratio-
num sca-
turigo.*

Ps. 76. 4.

tionem

quâdoque acceptissimi sunt, atque etiam e-
què feliciter atque isti finem ac scopum, quo
istæ internæ praxēs collimant, attingunt, sine
convenienti relinquere non debemus instru-
ctione, Eapropter ipsis aliquot hic regulas
præscribemus.

*Regula pro exercitio præsentia Dei, atq;
aspirationum propria Inci-
ipientibus.*

PRima. Postquam in initio cujusque operis
cogitationes suas in Deum conjecerint be-
neficio directionis cum iudicio conceptæ, in
illa bona dispositione continuò perseverare
contendent, attendendo ad opus ipsum, cum
intentione per illud placendi Deo.

Hoc autem fieri nequaquam debet cum
violentia aut anxietate, illa enim inutilis foret,
& capitis dolorem causare posset. Verum at-
tentio esse debet suavis & affectiva potius,
quàm cum notitia reflexiva. Non secus, ait
S. Basilus, atque artifex, cui opus artis suæ
commissum est, simul attendit & ad opus ac
laborem suum, atque etiam ad illam, qui hoc
opus ei demandavit. Cùm enim opus suum
præ oculis habeat, simul etiam in corde desi-
derium habet satisfaciendi ei, pro quo laborat.
Eodem prorsus modo nos quoque actionibus
nostris rectè faciendis ita debemus intendere,
ut semper in corde nostro geramus ardens desi-
derium satisfaciendi Deo, qui illas nobis in-
jungit, & pro quo & coram quo illas peragi-
mus.

*In Regulis
Brevio-
ribus.*

*Pulchra
compa-
ratio.*

Altera

Altera regula consequens ex priori est : ut sollicitè invigilent removendæ vanæ gloriæ, respectui humano, propriæ complacentiæ, atque omnibus aliis vitiosis motivis, si quæ animum nostrum ad destruendam bonam intentionem, qua opus inchoârunt, incessant : non rarò etenim evenire solet, ut quod quis ex motivo bono incepit, finiat depravato. Ac licet complures propria sua commoda in actionibus suis non confectentur, ubi illas ordiuntur : illa tamen paulatim sese ingerunt, eò quòd ad seiplos sufficienter ipsi non attendant ; sicut frequenter cibum sumere incipimus ex motivo puræ necessitatis, paulatim tamen insinuante se delectatione refectioem finimus cum sensualitate.

Cassianus in prima sua collatione ait : Religiosum esse debere fidelem in observandis cogitationibus suis, sicuti nummulatius exactus est in considerandis monetis, quæ ipsi offeruntur. Veluti enim hic pecuniam propius intuetur atque examinat, ne fortè adulterinum nummum in detrimentum suum recipiat : ita Religiosus cunctis mentis motibus invigilare debet, ut repudiet atque abdicet istos, qui bonum propositum, quicum suum opus incepit, corrumpere possent ac destruere. Atque ubi aliquem huiusmodi exurgere animadvertent, illum supprimet, renovando in momento directionem suam hoc modo : *Domine, jam totam actionem hanc meam tibi consecravi, nolo retractare sententiam.*

Tertia Regula est, ut si quando ab hac attentione distrahantur (id quod satis animadverti

Compara-
ratio.

atione

verti potest ex quadam interna inquietudine aut turbatione, qua quis statim afficitur) suaviter se recolligant, ac renovando bonum propositum in Dei præsentia, uti prius, se constituent. Quod si sæpius in una eademque actione id contingeret, toties quoties ad seipsum redire deberent. Sæpius enim contentè in Dei præsentiam se revocando, tandem addiscent in ea indefinenter remanere, cui rei plurimum servire poterit, si quem ex hisce versibus in memoriam revocârint.

Prov. 3. 6. *In omnibus viis tuis cogita Deum : & ipse diriget gressus tuos.*

Pf. 15. 9. *Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam à dextris est mihi, ne commovear.*

Pf. 13. 2. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum ; ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.*

Quos actutim excipiet quædam cordis elevatio : verbi gratiâ :

Pf. 138. 58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tuum.*

26. 8. *Tibi dixit cor meum ; exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram.*

62. 18. *Mihi autem adherere Deo bonum est : ponere in Domino Deo sperem meam.*

118. 108. *Servavi mandata tua & testimonia tua : quia omnes via mea in conspectu tuo.*

118. 80. *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis : ut non confundar.*

Ps. 10. *In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me à mandatis tuis.*

In universum sub omnibus diei totius actionibus Fratres nostri, ut coram Deo testatum faciant desiderium, quod habent ipsum in cunctis operibus suis honorandi, producere poterunt sequentes aspirationes.

Oro te, mi Deus, per justissimum zelum, quem habes gloriæ tuæ; ut mihi concedas gratiam te in hac actione juxta cordis mei votum glorificandi.

Verum quam tibi gloriam dare potest infelix humi reptans creatura? atque inter creaturas universas ego adhuc ineptissimus sum ob peccata mea.

Ut quid igitur inspiras mihi tui in hoc glorificandi desiderium, quia qui te glorificem dignus non sum? Non possum equidem, Domine, æterno gloriosæ Majestatis tuæ splendori quidquam adjicere! attamen de illo toto cordis affectu gaudeo, cupioque, ut hæc actio tibi placeat in signum lætitiæ, quam inde concepi. Vellem, Domine, hac in actione tibi posse tantum gloriæ ac lætificationis dare, quantum ex actionibus maximorum Sanctorum tuorum, cum in terris ipsi agerent, recepisti.

Angeli tui, Domine, in cælo incessanter ingenti cum ardore te collaudant dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Apoc. 4. 8. Permite, ut exiguum desiderium meum ardentibus ipsorum flammis jungam.

Quod si, Domine, indignus sum, qui Angelis tuis sanctis socier, permittite mihi, ut saltem te glorificem cum minimis terræ

X

bestio;

e
tione

bestiolis modo te suo, proque suo posse glorificantibus.

Uno verbo, Domine, desidero te glorificare, quia Deus meus es, & offero tibi hoc cor in unione gloriæ, quam cunctæ creaturæ tuæ tibi unquam dederunt, ac per totam daturæ sunt æternitatem.

Nunquid eo me sine creasti? sanctam ergo voluntatem tuam in me adimple, atque ut tibi, Deus, in hoc opere, omnem tribuam gloriam, quam à me expectas, concede: aut certè in primum me nihilum meum redige, quia vivere nolo, nisi ut te honorificem.

Quis mihi det cor ardens ad serviendum tibi, sicut ardebat cor maximorum Sanctorum tuorum? O si mihi dare velles tantum affectus in obedientiis meis, quantum ipsi habuerunt! Uinam tantum tibi placere possem, quantum ipsi placuerunt! verùm aliud facere nequeo, nisi tibi exiguitatem atque impotentiam meam offerre.

En formulam aspirationum, quas quis facere potest super motivo glorificandi Deum in omnibus operibus nostris. Alias ad istius imitationem concipere quis facile poterit, Quantum ad illos, qui ampliùs excitantur versibus Psalmorum aut sententiis sacrae Scripturæ, quàm quibusvis aliis rebus, ipsi quibusdam huiusmodi versibus aut sententiis familiariter assuescent, ut nunquam difficultatem sentiant inveniendi argumentum ad Deum se elevandi: Novimus aliquos, qui hisce multùm excitabantur:

Tu scis, Domine, quia amo te. Animam meam pro te ponam. S. Pet. Ier. 21. 15. & 13. 37.

Amo te, Deus meus: fac ut amem validius. Domine, quid me vis facere? S. Aug. S. Paul.

Domine, bonum est nos hic esse. Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia. Act. 9. 6. S. Pet. Mart. 17. 4.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. Ps. 53. 5.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus divitiis. 118. 140.

Benedic anima mea Domino: & omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus. 102. 1.

Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi. 34. 10.

Iste Deus meus & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. Exod. 15. 2.

Exaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in saeculum & in saeculum saeculi. Ps. 144. 1.

Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. 33. 2.

Adhereat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui. 136. 6.

Si oblitus fuero tui: oblivioni detur dextera mea. ibid. v. 5.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. ita desiderat anima mea ad te, Deus. 41. 2.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? ibid. v. 3.

Coloss. 3.
16.

Quilibet synopsis facere poterit eorum verborum ac versuum, quibus ordinariè amplius commovetur, illamque in memoriae suae thesauro asservabit, ut illis utatur in conficiendis aspirationibus, ac frequenter loquendo cum Deo in hymnis, psalmis & canticis spiritualibus & internis, juxta id quod consulit Apostolus: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commoventes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.*

Quoniam verò hiee modus confovendi internum exercitium antiquis Patribus nostris in deserto familiarissimus fuit, qui idcirco fermè totam sacram Scripturam memoriter ediscebant, atque etiam experientia comprobavit, quantum inde Fratres nostri reportarent emolumentum, particulare istius rei exercitium capite sequenti componemus.

CAPUT XXXII.

Exercitium aspirationum extractum ex sacra Scriptura, atq; imprimis libris Psalmorum.

Hebr. 4.
12.

Vltimus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, perveniens usq; ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum: sunt verba Apostoli, quibus edocemur, verbum seu sermonem Dei aptissimum esse conficiendis orationi-